



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...**

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1670**

31. Nidi auium esculenti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10757**

centuplo emuntur, maximè à Brachmanis, qui sibi ex iis rogam parant, quo pretiosius post mortem crementur. Calamba Regibus intacta seruatur, nec indagatur nisi magnis difficultatibus & periculosis, tum quod beneficio aditus inaccessi cælorum manus exit, & in iugis montium inuis senescens in Calambam ex Aquila euadit; tum quod ventis frustatim decussa, vel senio, in acumina incidit rupium, aut valles tigribus, elephantis, & leonibus infestas, quare libram Calambæ Cocincinensès quoque aureis sedecim facile coëmunt; Iapones ducentis, & si fingendo ceruicali sufficiat etiam quadringentis, ego multa dùm verso ex iis regionibus perscripta, multos competi Reges ceruical ex Calamba pro deliciis habuisse, quod eius odor & mirificè delectet, & cerebrum magnoperè roborer. Mercem alteram Europæ ignotam penitus nidi efficiunt auicularum marinarum: in Regni extremis quæ Ciampæ obiacent, mare frangunt innumeri scopuli cum horrendo aquarum fremitu: hanc nidis ponendis securum recessum sibi aues legerunt hirundinibus haud multum absimiles, eodemque cum iis indicandi ingenio; mittunt enim ex ore viscosum quiddam & saxi affigunt, lato tamen vt hirundines non miscent, sed marinæ spumæ quam carpi ab iis, & cum eo tenaci qui stomacho illorum innascitur humore confusam, in nidi fabricam rostro iaci. Hoc verò quicquid est in eam nidi firmatur duritiem, quæ oua dùm fouentur, & pullos tu. o sustineat, quibus exclusis & cælum mutantibus, barcas vectorias hu nidis indigenæ onerant. Coloris sunt viridis flauo mixti, pellucet, aqua diluuntur, saporem referunt ex compositione quadam aromatum indeprehensa mirabilem, qui solus omnia ciborum genera exquisitè ad gulam condiat. Huius sunt appetentissimi Iapones, & Sinæ, crebrisque itinerariis, aromatariam mercaturam his nidis faciunt. Hæc de ingenio cæli solique Cocincinensès pauca, paulò plura vt feret occasio; nunc de Societatis in eam ingressu, & fundati in ea Christianismi primordiis.

Ex Prouinciis quinque diuidentibus Cocincinam, nobilitant maximè Cancianam nundinæ quadrimestres. Portum illi efficit duplex sinus quem mare leucatum quatuor spatio perductum loco iungit, nauibus ab austro, & septentrione opportunissimum. Assueti loco Iapones, & Sinæ, bona Regis cum venia urbem statuere, quæ vno ambitu duas portus iure, legibus, moribus, Præfectis diuersas videtur complecti ciuitates Iaponiorum, & Sinarum. Commerciorum facultate contentis Lusitanis ædificandæ urbis solo vti non libuit, nec suburbicariis circum leucis quatuor quas vltro Rex iis benignè detulerat, eum nisi octidui nauigatione Macao non abessent. Eo transactis nundinis eum redirent, tam multa Patribus narrabant de benè morata Cocincinensium indole, fida, in rectam flexili, externis perhumana, & facili ad permittendum cuique nationi patriarum legum ac morum usum; ceterum cupida, quod erat præcipuè optandum, intelligendi si quid

31.  
Nidi auium  
esculenti.

32.  
Ingress. Soc.  
in Cocinci-  
nam.

Y y